



Non minus invictissimus Imperator Rudolffus II. cum variis literis, nuntiis, exploratoribus, & captiuorum confessionibus intellexisset, Sultatum Turcicum omnia iterum ad bellum parare, ipse quoque, quâ potuit celeritate & diligentia, arma, auxilia, & pecuniam undique in futurum bellum conquisivit: nihilque non fecit, quo testaretur, sibi unice curæ cordique esse, ne se imparatum aut negligentem hostis inveniret. Placebat etiam Cæsari, totiusque Imperij Proceribus, ut Archidux Maximilianus exercitui summo cum Imperio præfret. De legato seu vicario illi dando non nihil disceptatum fuit, plerisque tandem eam in sententiam abeuntibus, ut Dux Ferrariensis, id quicquid est muneris, obiret hâc conditione, ut Italicorum octo millia secum in Vngariam adduceret, eosque ad tempus suis expensis aleret. In huius ergo expeditionis memoriam Cæsar supra delineatum nummum consilari iussit, bonique omnis loco offerri ijs voluit: quorum iam pridem in bello hoc sacro virtus atque integritas emicuisset.

